Bisenberger, Matthias: Tractatus monasticus
Salem, 1735/36 Seite 202r



Sanctissimus Pater imbecillibus, aut qui ex longa refectionis expectatione in servitio deficerent.

<u>Biberes</u> ex Turrecremata, est vas potatorium parvum sufficiens pro unico haustu. a quo etiam nomen sortitus est in nostra congregatione haustus vespertinus certis diebus ante vesperas dari solitus, quamvis hodie jam vasa maiora sint. Moderno tempore servitoribus et lectoribus mensae praeter moderatum vini haustum permittitur offa ante refectionem prandij etc.

In diebus <u>autem solemnibus usque ad missas sustineant</u>. haec verba S: Patris referenda sunt ad illa superius expressa: <u>ante unam horam refectionis etc.</u> Quia ergo in diebus Solemnibus horam refectionis Paululum praecedit Missa solemnis, in qua omnes his diebus praesentes esse voluit S: P:; ideo talibus diebus neminem aliquid gustare voluit usque post completam Missam. Fortasse S: P: etiam Sacrae comunionis hic aliquam reflexionem fecit, ad quam omnes simul accedere voluit, et non permittere ut aliqui faciant juxta exemplum illorum, quos apostolus reprehendit: <u>unusquisque enim suam Coenam praesumit ad manducandum.</u> Nostris temporibus ad refectorium nemini servitorum aut Lectorum patet accessus, nisi ultimo quadrante ante refectionem. 5b

Denique S: P. Ceremonias ingrediendi, et egrediendi Septimanae servitij tradit, quae oratione, et Benedictione totius conventus peraguntur, non quidem jam provolutis ad Genua singulorum servitoribus, sed stantibus ante gradum altaris inclinato capite et demissis manicis, quod humilitatis et subiectionis quoddam religiosum indicium est.

## Additiones ad Caput 35tum 6.

Q. 1. An Servitori et Lectori etiam diebus jeiunij liceat ante horam refectionis sumere offam? R. cum Patre Babenstuber